



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Affligemivm, Tertio milliari à Bruxella, vrbe regia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

que monumentis, Iulianus Ligneus, sacerdos Cameracensis, vir eruditus, nobis per literas significavit.

## AFFLIGEMIVM,

Tertio milliari à Bruxella, vrbe regia.

**V**Vetherico monacho S. Petri Gandensis, Romani Pontificis auctoritate, per Flandriam ac Brabantiam, ad clericorum præsertim concubinariorum, populi que mores emendandos, prædicante; inter alios quinque \* milites ad pœnitentiam sunt conuersi: quos inter Gerardus, cognomento Niger, eminebat. Qui quidem seculo renuntiantes Affligemiensis in Brabantia cœnobij principia incohauerunt anno millesimo octogesimo tertio. Fuerat is locus antea non nisi latrocinantium conuenticulis aptus, tertio verò post anno Gerardus Cameracensis Episcopus basilicam Affligemiensem dedicauit. Sexto autem anno primus Abbas Fulgentius ibidem est constitutus. Hæc Balduinus Niniuensis in Chronico suo manuscripto. Meyerus in Annalibus Flandriae, concionatorem illum vocat Gedericum, dicitque monachum fuisse Blandiniensem; ex verbis tamen Balduini Niniuensis videri fortasse queat, eum monachum fuisse ad D. Bauonis, quod cœnobium istud proprie sancti Petri Gandensis nuncupari soleat.

\* Media ætatis scriptoribus milites sunt quos hodie quites nuncupamus.

An. 1083.

Idem Meyerus milites, siue Equites sex nominat Geldulphum, Theobaldum, Emelinum, Hargerum, Viboldum, & Gerardum: quos ait ad Hannonem Episcopum Coloniensem, pro criminum remissione, à Gederico primum missos esse, indeq; reuersos, consilio eiusdem, in Affligemiensē solitudine cellam edificasse. Ceterum de anno foundationis legi olim solent apud Affligemienses versiculi isti:

Annus millenus octogenus, quoque ternus  
Dum fertur, locus hic principium reperit.

Vide Sigeberti Chronicon à nobis cum MSS. codicibus comparatum.

DIPLOMA HENRICI COMITIS BRACBATENSIS, ET fundatoris coenobij Affligemiensis, qui Tornaci in hastiludio  
an. 1096. occubuit.

Notent antiquitates  
Brabantia  
studiosi.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Henricus diuinâ propitiante clementiâ \* Bracbatensis patriæ Comes & Aduocatus, omnibus tam præsentibus quàm futuris fidelibus, omne datum optimum & omne donum perfectum descendens à patre luminum. Notum vobis facimus qualiter miles quidam meus Gerardus nomine, cum alijs quibusdam, quos æquè diuina gratia & præuenit & subsecuta est, balteo militari deposito, vt melio-

rent